

Corso di Letteratura latina tardoantica

a.a. 2019-2020

Prof.ssa STEFANIA SANTELLA

CARMEN IX

AD FELICEM

LARGAM SOLLIVS HANC APOLLINARIS
FELICI DOMINO PIOQVE FRATRI
DICIT SIDONIVS SVVS SALVTEM.

Dic, dic quod peto, Magne, dic, amabo,
Felix nomine, mente, honore, forma, 5
natis, coniuge, fratribus, parente,
germanis genitoris atque matris
et summo patruelium Camillo :
quid nugas temerarias amici,
sparsit quas tenerae iocus iuuentae, 10
in formam redigi iubes libelli,
ingentem simul et repente fascem
conflari invidiae et perire chartam ?
Mandatis famulor, sed ante testor
lector quas patieris hic salebras. 15

Non nos currimus aggerem uetustum
nec quicquam inuenies ubi priorum
antiquas terat orbitas Thalia.

*uu. 1-3 ut inscriptiones a rubricatore in CF, exarati maioribus
litteris in P, om. T*

Non hic antipodas salumque rubrum,
 non hic Memnōnios canemus Indos, 20
 Aurorae face ciuica perustos ;
 non Artaxata, Susa, Bactra, Carrhas,
 non coctam Babylona personabo,
 quae largum fluuio patens alumno
 inclusum bibit hinc et inde Tigrim. 25
 Non hic Assyriis Ninum priorem,
 non Medis caput Arbacen profabor,
 nec quam diuite, cum refugit hostem,
 arsit Sardanapallus in fauilla.
 Non Cyrum Astyagis loquar nepotem, 30
 nutritum ubere quem ferunt canino,
 cuius non ualuit rapacitatem
 uel Lydi satiare gaza Croesi ;
 cuius nec feritas subacta tunc est,
 caesis milibus ante cum ducentis 35
 in uallis Scythicae coactus artum
 orbatae ad Tomyris ueniret utrem.
 Non hic Cecropios leges triumphos,
 uel si quo Marathon rubet duello
 aut, cum milia mille concitaret, 40
 inflatum numerositate Xerxen,
 atque hunc fluminibus satis profundis
 confestim ebibitis adhuc sitisse ;
 nec non Thermopylas et Hellis undas
 spretis obicibus soli salique 45
 insanis equitasse cum cateruis

19 om. P || 44 hellis (helis) codd. : Helles Luc. Mueller.

et sic scribere non minus ualentem,
 Marcus Quintilianus ut solebat.

Nos ualde sterilis modos Camenae
 raras credimus hos breuique chartae,
 quae scombros merito piperque portet.
 Nam quisnam deus hoc dabit reiectae,
 ut uel suscipiens bonos odores,

320

nardum ac pinguia Nicerotianis
 quae fragrant alabastra tincta sucis,
 Indo cinnamon ex rogo petitum,
 quo Phoenix iuuenescit occidendo,
 costum, malobathrum, rosas, amomum,
 myrrham, tus opobalsamumque seruet ?

325

Quapropter facinus meum tuere
 et condiscipuli tibi obsequentis
 incautum, precor, asseras pudorem.

330

Germanum tamen ante sed memento,
 doctrinae columen, Probum aduocare,
 isti qui ualet exarationi

destrictum bonus applicare theta.

335

Noui sed bene, non refello culpam,
 nec doctis placet impudens poeta ;
 sed nec turgida contumeliosi

lectoris nimium uerebor ora,

si tamquam grauior seueriorque

340

nostrae Terpsichores iocum refutans

rugato Cato tertius labello

324 fragrant uulgo : flagrant codd. || 329 tuere T : tuere CP
 tuare F || 335 destrictum Luelfjohann : districtum codd. || 336 sed
 codd. : sat Wilamowitz

narem rhinoceroticam minetur.
Non te terreat hic nimis peritus ;
uerum si cupias probare, tanta
nullus scit, mihi crede, quanta nescit.

345

Excusatorium ad uirum clarum felicem finitur Sidenii *in C* ;
SOLLI APOLLINARIS SIDONII EXCVSATORIA AD VIRV CLARV FELICEM
FINITVR *in P* ; Explicit epla excusatoria ad felicem *in F*.

CARMEN XII

AD V. C. CATVLLINVM

Quid me, etsi ualeam, parare carmen
Fescennicolae iubes Diones
inter crinigeras situm cateruas
et Germanica uerba sustinentem,
laudantem tetrico subinde uultu 5
quod Burgundio cantat esculentus,
infundens acido comam butyro ?
Vis dicam tibi quid poema frangat ?
ex hoc barbaricis abacta plectris
spernit senipedem stilum Thalia, 10
ex quo septipedes uidet patronos.
Felices oculos tuos et aures
felicemque libet uocare nasum,

Epigramma ad V. C. catullinum quod propter hostilitatem barbarorum epitalamium scribere non ualeret *subscr. rubr. in G* ; Incipit epigramma ad cautulinum quod propter hostilitatem epitalamium scribere non potuit *in F* ; Epigramma ad VIRV CLARV CATULLINV quod propter hostilitatem barbarorum epithalium scribere non ualeret *in P* ; EIVSDEM EPIGRAMMA AD CATULLINV *in T*.

cui non allia sordidumque cepe
ructant mane nouo decem apparatus, 15
quem non ut uetulum patris parentem
nutricisque uirum die nec orto
tot tantique petunt simul Gigantes,
quot uix Alcinoi culina ferret.

Sed iam Musa tacet tenetque habenas 20
paucis hendecasyllabis iocata,
ne quisquam satiram uel hos uocaret.

14 sordidumque cepe *W. B. Anderson* : sordidaeque caepae
(sepe *F*) *codd.* || 21 *om. T*

CARMEN XIII

AD IMPERATOREM MAIORIANVM

Amphitryoniaden perhibet ueneranda uetustas,
dum releuat terras, promeruisse polos.
Sed licet in nuda toruus confregerit ulna
ille Cleonaeae guttura raua ferae,
et quamquam ardenti gladio uix strauerit hydram, 5
cum duplices pareret uulnere mors animas,
captiuumque ferens silua ex Erymanthide monstrum
exarmata feri riserit ora suis,
collaque flammigenae disrumpens fumida furis
tandem directas iusserit ire boues, 10
taurus, cerua, Gigas, hospes, luctator, Amazon,
Cres, canis, Hesperides sint monumenta uiri,
nulla tamen fuso prior est Geryone pugna,
uni tergeminum cui tulit ille caput.

Item incipit eiusdem epigramma quo ab imperatore Maioriano
trium capitum remedium postulauit in C; Epigramma eiusdem
quo a maioriano imperatore III capitum remedium expostulat
in P; IT INCIP EPIGRAMMA EIVSDE QVO AB IMPERATORE MAIORIANO
TERTIVM CAPITVLV REMEDIVM POSTVLAVIT SIDONIVS in P; EPI-
GRAMMA EIVSD AD MAIORIANV imperatorem in T.

Haec quondam Alcides ; at tu Tiryntius alter, 15
 sed princeps, magni maxima cura dei,
 quem draco, ceruus, aper paribus sensere sagittis,
 cum dens, cum uirus, cum fuga nil ualuit,
 Geryones nos esse puta monstrumque tributum :
 hinc capita, ut uiuam, tu mihi tolle tria. 20

Has supplex famulus preces dicauit
 responsum opperiens pium ac salubre.
 Vt reddas patriam simulque uitam
 Lugdunum exonerans suis ruinis,
 hoc te Sidonius tuus precatur : 25
 sic te Sidonio recocta fuco
 multos purpura uestiat per annos ;
 sic lustrum imperii perennis acto
 quinquennalia fascibus dicentur ;
 sic ripae duplicis tumore fracto 30
 detonsus Vachalim bibat Sygamber.
 Quod si contuleris tuo poetae,
 mandem perpetuis legenda fastis
 quaecumque egregiis geris triumphis.
 Nam nunc Musa loquax tacet tributo, 35
 quae pro Vergilio Terentioque
 sextantes legit unciasque fisci,
 Marsyaeque timet manum ac rudentem,
 qui Phoebi ex odio uetustiore
 nunc suspendia uatibus minatur. 40

19 Geryones *Casellius* : hystriones (histriones) *codd.* Geryonen *Luetjohann* Eurysthea *W. B. Anderson* || monstrumque tributum *codd.* : nostrumque tributum *Wilamowitz* ; an monstrum triforme ? *Luetjohann* || 20 hinc *Luetjohann* : hic *codd.* || *sup.* 21 *tit.*
 DE EODĒ ENDECASILLABĪ IN T

CARMEN XVI

EVCHARISTON AD FAVSTVM EPISCOPVM

Phoebum et ter ternas decima cum Pallade Musas
Orpheaque et laticem simulatum fontis equini
Ogygiamque chelyn, quae saxa sequacia flectens
cantibus auritos erexit carmine muros,
sperne, fidis; magis ille ueni nunc spiritus, oro, 5
pontificem dicture tuum, qui pectora priscae
intrasti Mariae, rapiens cum tympana siccus
Israel appensi per concaua gurgitis iret
aggeribus uallatus aquae mediasque per undas
pulnerulenta tuum clamaret turba triumphum; 10
quique manum Iudith ferientem colla Olophernis
iuuisti, exciso iacuit cum gutture truncus
et fragilis ualido latuit bene sexus in ictu;
expresso uel qui complens de uellere peluem

AD FAVSTVM REGENSEM *EFM* in *C*; INCIP. EVCHARISTON AD FAVS-
TVM EPISCOPVM in *P*; INCIP. EVCHARISCON AD FAVSTV EPISCOPY
in *T*; incipit eucarison ad faustum episcopum in *F*: Eucharis-
ticum *uulgo*.

14 peluem *Lueljohann*: pellem *codd.*

inficiensque dehinc non tacto uellere terram 15
 firmasti Gedeona, tubis inserte canoris
 spiritus, et solo uenit uictoria cantu;
 quique etiam adsumptum pecorosi de grege Iesse
 adflasti regem, plaustro cum foederis arcam
 imponens hostis nullo moderante bubulco 20
 proderet obscaenum turgenti podice morbum;
 quique trium quondam puerorum in fauce sonasti,
 quos in Chaldaei positos fornace tyranni
 roscida combusto madefecit flamma camino;
 quique uolubilibus spatiantem tractibus alui 25
 complesti Ionam, resonant dum uiscera monstri
 introrsum psallente cibo uel pondera uentris
 ieiuni plenique tamen uate intemerato
 ructat cruda fames, quem singultantibus extis
 esuriens uomuit suspensio belua morsu; 30
 quique duplex quondam uenisti in pectus Helisei,
 Thesbitem cum forte senem iam flammeus axis
 tolleret et scissam linquens pro munere pellem
 hispidus ardentem auriga intraret habenas;
 quique etiam Heliam terris missure secundum 35
 Zachariae iusti linguam placate ligasti,
 dum faceret serum rugosa puerpera patrem,
 edita significans iusso reticere propheta,
 gratia cum fulsit, nosset se ut lex taciturnam;
 quique etiam nascens ex uirgine semine nullo, 40
 ante ullum tempus deus atque in tempore Christus,
 ad corpus quantum spectat, tu te ipse creasti;

33 pellem *codd.* : pallam *cod. Helmstad.* (*item Wilamowitz*)

qui uisum caecis, gressum quoque reddere claudis,
 auditum surdis, mutis laxare loquelam
 suetus ad hoc etiam uenisti, ut mortua membra 45
 lecto, sandapila, tumulo consurgere possint;
 quique etiam poenas suscepta in carne tulisti,
 sustentans alapas, ludibria, uerbera, uepres,
 sortem, uincla, crucem, clauos, fel, missile, acetum,
 postremo mortem, sed surrecturus, adisti, 50
 eripiens quidquid ueteris migrauerat hostis
 in ius per nostrum facinus, cum femina prima
 praeceptum soluens culpa nos perpete uinxit;
 (qui cum te interitu petiit nec repperit in te
 quod posset proprium conuincere, perdidit omne 55
 quod lapsu dedit Eua suo; chirographon illud,
 quo peruasus homo est, haec compensatio rupit.
 Expers peccati pro peccatoribus amplum
 fis pretium ueteremque nouus uice faenoris Adam,
 dum moreris, de morte rapis. Sic mortua mors est, 60
 sic sese insidiis quas fecerat ipsa fefellit;
 nam dum indiscrete petit insontemque reosque,
 egit ut absolui possent et crimine nexi);
 quique etiam iustos ad tempus surgere tecum
 iussisti cineres, cum tectis tempore longo 65
 irrupit festina salus infusaque raptim
 excussit tumulis solidatas uita fauillas:
 da Faustum laudare tuum, da soluere grates,
 quas et post debere iuuat. Te, magne sacerdos,

45 etiam *om.* C || 46 possint *codd.*: possent *malit Luetjohann* ||
 56 illud *uulgo*: illum *codd.* || 57 rupit *CFT*: rumpit *P* || 60 dum
FPT: cum *C*

barbitus hic noster plectro licet impare cantat. 70

Haec igitur prima est uel causa uel actio laudum,
quod mihi germani, dum lubrica uoluitur aetas,
seruatus tecum domini per dona probatur
nec fama titubante pudor; te respicit istud 75
quantumcumque bonum; merces debebitur illi,
ille tibi. Sit laus, si labi noluit, eius;
nam quod nec potuit, totum ad te iure redundat.

Praeterea quod me pridem Reios ueniente,
cum Procyon fureret, cum solis torridus ignis
flexilibus rimis sitientes scriberet agros, 80
hospite te nostros exceptit protinus aestus
pax, domus, umbra, latex, benedictio, mensa, cubile.

Omnibus attamen his sat praestat quod uoluisti
ut sanctae matris sanctum quoque limen adirem.
Derigui, fateor, mihi conscius atque repente 85
tinxit adorantem pauido reuerentia uultum;
nec secus intremui quam si me forte Rebeccae
Israel aut Samuel crinitus duceret Annae.
Quapropter te uel uotis sine fine colentes
affectum magnum per carmina parua fatemur. 90

Seu te flammatae Syrtes et inhospita tesqua
seu caeno uiridante palus seu nigra recessu
incultum mage saxa tenent, ubi sole remoto
concaua longaeuas adseruant antra tenebras;
seu te praeruptis porrecta in rupibus Alpibus 95
succinctos gelido libantem caespite somnos,

78 ueniente *uulgo*: uenientem *codd.* || 85 derigui *Luetjohann*:
dirigui *codd.* || 93 incultum *codd.*: inculto *Mommsen* || 95 por-
recta *FP*: porrectae *CT*

anachoreta, tremit (quae quamquam frigora portet,
 conceptum Christi numquam domat illa calorem),
 qua nunc Helias, nunc te iubet ire Iohannes,
 nunc duo Macarii, nunc et Paphnutius heros, 100
 nunc Or, nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
 nunc uocat in tunica nudus te Antonius illa
 quam fecit palmae foliis manus alma magistri;
 seu te Lirinus priscum complexa parentem est,
 qua tu iam fractus pro magna saepe quiete 105
 discipulis seruire uenis uixque otia somni,
 uix coctos capture cibos abstemius aeuum
 ducis et insertis pinguis ieiunia psalmis,
 fratribus insinuans quantos illa insula plana
 miserit in caelum montes, quae sancta Caprasi 110
 uita senis iuuenisque Lupi, quae gratia patrem
 mansit Honoratum, fuerit quis Maximus ille,
 urbem tu cuius monachosque antistes et abbas
 bis successor agis, celebrans quoque laudibus illis
 Eucherii uenientis iter, redeuntis Hilari; 115
 seu te commissus populus tenet et minor audet
 te medio tumidos maiorum temnere mores;
 seu tu sollicitus curas qua languidus esca
 quaue peregrinus uiuat, quid pascat et illum,
 lubrica crura cui tenuat sub compede carcer; 120
 seu mage funeribus mentem distractus humandis,
 liuida defuncti si pauperis ossa uirescant,
 infastiditum fers ipse ad busta cadauer;

108 pinguis *P* : pingis *CFT* : pinguas *Caduceus* || 113 monachosque *Sirmond* : monachusque *codd.* || 115 iter *om. PT*

seu te conspicuis gradibus uenerabilis arae
contionaturum plebs sedula circumssistit, 125
expositae legis bibat auribus ut medicinam :
quidquid agis, quocumque loci es, semper mihi Faustus,
semper Honoratus, semper quoque Maximus esto.

CARMEN XVII

AD V. C. OMMATIVM

Quattuor ante dies quam lux Sextilis adusti
prima spiciferum proferat orbe caput,
natalis nostris decimus sextusque coletur,
aduentu felix qui petit esse tuo.
Non tibi gemmatis ponentur prandia mensis, 5
Assyrius murex nec tibi sigma dabit ;
nec per multiplices abaco splendente cauernas
argenti nigri pondera defodiam ;
nec scyphus hic dabitur rutilo cui forte metallo 10
crustatum stringat tortilis ansa latus.
Fercula sunt nobis mediocria, non ita facta
mensurae ut grandis suppleat ars pretium.
Non panes Libyca solitos flaescere Syrte
accipiet Galli rustica mensa tui.

Incipit eiusdem epigramma quo inuita -- t \bar{V} . \bar{C} . Ommatium ad natalem ---- su -- m in C ; subscriptio deest in P, sed duo uersus uacant ; Eiusdem incipit ad commatum inuitans eum ad natalem diem suorum in F ; EPIGRAMMA EIVSDE AD OMMATI \bar{V} VIR \bar{V} . C. in T.

3 nostris FTP : nostri C || 6 sigma uulgo : simma codd.

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna 15
 quaeque Sarepteno palmite missa bibas.
Pocula non hic sunt industria nomine pagi
 quod posuit nostris ipse triumuir agris.
Tu tamen ut uenias petimus ; dabit omnia Christus,
 hic mihi qui patriam fecit amore tuo. 20

16 sarepteno *T* : seraptano *CF* saraptano *P*

(nam Martem tulit ista Iulianum
 et Bruto duce nauticum furorem,
 ast haec Teutonicas cruenta pugnās,
 erectum et Mariū cadente Cimbro),
 misisti mihi multiplex poema, 20
 doctum, nobile, forte, delicatum.
 Ibant hexametri superbientes
 et uestigia iuncta, sed minora,
 per quinos elegi pedes ferebant;
 misisti et triplicis metrum trochaei 25
 spondeo comitante dactyloque,
 dulces hendecasyllabos, tuumque
 blando faenore Sollium ligasti.
 Vsuram petimurque reddimusque;
 nam quod carmine pro tuo rependo, 30
 hoc centesima laudium tuarum est.
 Quid primum uenerer colamque pro te?
 ni fallor, patriam patremque iuxta;
 qui quamquam sibi uindicare summum
 possit iure locum, tamen necesse est 35
 illam uincere quae parit parentes.
 Salue, Narbo potens salubritate,
 urbe et rure simul bonus uideri,
 muris, ciuibis, ambitu, tabernis,
 portis, porticibus, foro, theatro, 40
 delubris, capitoliis, monetis,
 thermis, arcubus, horreis, macellis,

25 et om. T || Post u. 36 Narbonensis urbis eiusque ciuium laus
 incipit scripsit rubricator in C; duo uersus uacant in P

pratis, fontibus, insulis, salinis,
 stagnis, flumine, merce, ponte, ponto ;
 unus qui uenerere iure diuos 45
 Lenaeum, Cererem, Palem, Mineruam
 spicis, palmite, pascuis, trapetis.
 Solis fise uiris nec expetito
 naturae auxilio procul relictis
 promens montibus altius cacumen, 50
 non te fossa patens nec hispidarum
 obiectu sudium coronat agger ;
 non tu marmora bratteam uitrumque,
 non testudinis Indicae nitorem,
 non si quas eboris trabes refractis 55
 rostris Marmarici dedere barri
 figis moenibus aureasque portas
 exornas asaroticis lapillis ;
 sed per semirutas superbus arces,
 ostendens ueteris decus duelli, 60
 quassatos geris ictibus molares,
 laudandis pretiosior ruinis.
 Sint urbes aliae situ minaces,
 quas uires humiles per alta condunt,
 et per praecipites locata cristas 65
 numquam moenia caesa gloriantur :
 tu pulsate places fidemque fortem
 oppugnatio passa publicauit.
 Hinc te Martius ille rector atque
 magno patre prior, decus Getarum, 70

Romanae columen salusque gentis,
 Theudoricus amat sibique fidum
 aduersos probat ante per tumultus.
 Sed non hinc uideare forte turpis,
 quod te machina crebra perforauit; 75
 namque in corpore fortium uirorum
 laus est amplior amplior cicatrix.
 In castris Marathoniis merentem
 uulnus non habuisse grande probrum est;
 inter Publicolas manu feroces 80
 trunco Mutius eminent lacerto;
 uallum Caesaris opprimente Magno
 inter tot facies ab hoste tutas
 luscus Scaeuā fuit magis decorus.
 Laus est ardua dura sustinere; 85
 ignauis, timidis et improbatīs
 multum fingitur otiosa uirtus.
 Quid quod Caesaribus ferax creandis,
 felix prole uirum, simul dedisti
 natos cum genitore principantes? 90
 Nam quis Persidis expeditionem
 aut uictricia castra praeteribit
 Cari principis et perambulatum
 Romanis legionibus Niphaten,
 tum cum fulmine captus imperator 95
 uitam fulminibus parem peregit?

72 Theudoricus *Mohr*: theudoricus *FP* theodericus *CT* || 81 mutius *CFP*: mucius *T* || 87 fingitur *plerique codd.*: ringitur *Vatic.* 3421 || otiosa *uulgo*: oclosa (*osiosa*) *FP* odiosa (*odiosi*) *CT* || 95 captus *codd.*: tactus *malit Luetjohann*

CARMEN XXIV
PROPEMPTICON AD LIBELLVM

Egressus foribus meis, libelle,
hanc seruare uiam, precor, memento,
quae nostros bene ducit ad sodales,
quorum nomina sedulus notauit;
antiquus tibi nec teratur agger, 5
cuius per spatium satis uetustis
nomen Caesareum uiret columnis;
sed sensim gradere, ut moras habendo
affectum celerem noues amicis.
Ac primum Domiti larem seueri 10
intrabis trepidantibus Camenis :
tam censorius haud fuit uel ille
quem risisse semel ferunt in aeuo ;
sed gaudere potes rigore docto :
hic si te probat, omnibus placebis. 15

*Propempticon ad libellum hunc inscr. rubricator in C ; inscriptio
deest sed uac. spat. in P ; sine inscr. in FT.*

*5 nec CPT : ne F || teratur CFT : teretur P || 8 ut uulgo : et
codd. || 9 noues uulgo : moues codd. mouens Buecheler*

Hinc te suscipiet benigna Briuas,
 sancti quae fouet ossa Iuliani,
 quae dum mortua mortuis putantur,
 uiuens e tumultu micat potestas.
 Hinc iam dexteriora carpis arua 20
 emensusque iugum die sub uno
 flauum crastinus aspicias Triobrem ;
 tum terram Gabalum satis niuosam
 et, quantum indigenae uolunt putari,
 sublimem in puteo uidebis urbem. 25
 Hinc te temporis ad mei Laconas
 Iustinum rapies suumque fratrem,
 quorum notus amor per orbis ora
 calcat Pirithoumque Theseumque
 et fidum rabidi sodalem Orestae. 30
 Horum cum fueris sinu receptus,
 ibis Treuidon et calumniosis
 uicinum nimis, heu, iugum Rutenis.
 Hic docti inuenies patrem Tonanti,
 rectorem columenque Galliarum, 35
 prisca Ferreolum parem Syagri,
 coniunx Papianilla quem pudico
 curas participans iuuat labore,
 qualis nec Tanaquil fuit nec illa
 quam tu, Tricipitine, procreasti, 40
 qualis nec Phrygiae dicata Vestae
 quae contra satis Albulam tumentem

duxit uirgineo ratem capillo.

Hinc te Laesora, Caucason Scytharum
uincens, aspiciet citusque Tarnis, 45
limosum et solido sapore pressum
piscem perspicua gerens in unda.

Hic Zeti et Calais tibi adde pennas
nimbosumque iugum fugax caeeto;
namque est assiduae ferax procellae; 50
sed quamuis rapido ferare cursu,
lassum te Vorocingus obtinebit.

Nostrum hic inuenies Apollinarem,
seu contra rabidi Leonis aestus 55
uestit frigore marmorum penates,
siue hortis spatiatur in repostis,
quales mellifera uirent in Hybla,

quales Corycium senem beantes
fuscabat piceae latex Galaesi;
siue inter uiolas, thymum, ligustrum, 60
serpyllum, casiam, crocum atque caltam,
narcissos hyacinthinosque flores

spernit quam pretii petitor ampli
glabam turifer aduehit Sabaeus;
seu ficto potius specu quiescit 65
collis margine, qua nemus reflexum
natiuam dare porticum laborans
non lucum arboribus facit, sed antrum.
Quis pomaria prisca regis Indi

50 est *om.* P. || 52 uorocingus C : uoracingus PT ueracingus F ||
57 mellifera CPT : melliflua F

| | |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| hic nunc comparet aureasque uites electro uiridante pampinatas, cum Porus posuit crepante gaza fuluo ex palmite uineam metalli gemmarum fluitantibus racemis ? | 70 |
| Hinc tu Cottion ibis atque Auito nostro dicis « aue », dehinc « ualetio ». Debes obsequium uiro perenne ; nam, dent hinc ueniam mei propinqui, non nobis prior est parens amico. | 75 |
| Hinc te iam Fidulus, decus bonorum et nec Tetradio satis secundus morum dotibus aut tenore recti, sancta suscipit hospitalitate. Exin tende gradum Tribusque Villis Thaumastum expete, quemlibet duorum : | 80 |
| quorum iunior est mihi sodalis et collega simul graduque frater ; quod si fors senior tibi inuenitur, hunc pronus prope patruum saluta. | 85 |
| Hinc ad consulis ampla tecta Magni Felicemque tuum ueni, libelle ; et te hybliothea qua paterna est, qualis nec tetrici fuit Philagri, admitti faciet Probus probatum ; | 90 |
| hic saepe Eulaliae meae legeris, cuius Cecropiae pares Mineruae | 95 |

81 satis *codd.* : latens *W. B. Anderson* || 92 qua *Luetjohann* :
quae *codd.*

mores et rigidi senes et ipse
quondam purpureus socer timebant.

Sed iam sufficit : ecce linque portum ;
ne te pondere plus premam saburrae,
his in uersibus ancoram leuato.

100

*EXPLICIT subscr. rubricator in C ; unus uersus uacat in P ; seq.
epist. c. XXII in FT.*

SIDONIUS SYAGRIO SVO SALVTEM

1. Cum sis consulis pronepos idque per uirilem successionem (quamquam id ad causam subiciendam minus attinet), cum sis igitur e semine poetae, cui procul dubio statuas dederant litterae, si trabeae non dedissent (quod etiam nunc auctoris culta uersibus uerba testantur), a quo studia posterorum ne parum quidem, quippe in hac parte, degenerauerunt, immane narratu est, quantum stupeam sermonis te Germanici notitiam tanta facilitate rapuisse. 2. Atqui pueritiam tuam competenter scholis liberalibus memini imbutam et saepenumero acriter eloquenterque declamasse coram oratore satis habeo compertum. Atque haec cum ita sint, uelim dicas, unde subito hauserunt pectora tua euphoniae gentis alienae, ut modo mihi post ferulas lectionis Maroniana postque desudatam uaricosi Arpinatis opulentiam loquacitatemque quasi de areola uetere nouus falco prorumpas? 3. Aestimari minime potest, quanto mihi ceterisque sit risui, quotiens

2 areola *P. Courcelle* : harilao *LNT* arilao *R² in marg.* hilario *MCFT²* ilario *R* || falco *M* : falcho *T* faccho *L* flacco *CT²*; quasi de Syagrio uetere nouus Franco prorumpas *Coluius ex ms. Claramontanensi*

audio, quod te praesente formidet linguae suae facere barbarus barbarismum. Adstupet tibi epistulas interpretanti curua Germanorum senectus et negotiis mutuis arbitrum te disceptatoremque desumit. Nouus Burgundionum Solon in legibus disserendis, nouus Amphion in citharis, sed trichordibus, temperandis, amaris, frequentaris, expeteris, oblectas, eligeris, adhiberis, decernis, audiris. Et quamquam aequae corporibus ac sensu rigidi sint indolatilesque, amplectuntur in te pariter et discutunt sermonem patrium, cor Latinum. 4. Restat hoc unum, uir facetissime, ut nihilo segnius, uel cum uacabit, aliquid lectioni operis impendas custodiasque hoc, prout es elegantissimus, temperamentum, ut ista tibi lingua teneatur, ne ridearis, illa exerceatur, ut rideas. Vale.

4 operis *codd.* : operae *Luetjohann*